



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.  
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

**Probus, Johannes**

**Monachij, 1731**

**VD18 12260568**

Caput XII. De secundo miraculo circa prædictum Fratrem facto.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

cerat, coram Fratribus ibidem presentibus se reum proclamavit; quo facto Frater idem signum quod antea nimis erat breviatum, manu accipiens ad locum, in quo prius inter trabes stare non poterat, cum fiducia collocabat, & ecce! in tantum in ejus longitudine inventum est excrevisse, quod in eodem loco velut multum sibi apto fixum ac stabile permanferit.

C A P U T XII.

*De secundo miraculo circa predictum Fratrem facto.*

**Q**UODAM tempore, dum idem Frater in supradicto Monasterio Supprioratus Officium gereret, Venerabilis Decanus Monasterij Beatissimæ Virginis Mariæ propè Fuldam cum suo coquo & uno Monacho Fratre suo venit in *Herzhagen* visitationis causa, dumque per aliquod tempus ibidem esset, ac in Dominica die ad suum redire vellet Monasterium, antedictus Subprior nolens eum iter arripere in sacro die, ordinatum fuit per devotum Priorem memorati Monasterij nomine *Walterum*, ut prandio peracto supradictus Decanus cum suis socijs, ac etiam cum ante dicto Subprior propter solatium piscinam quamdam propè Monasterium visitarent, ad quam dum pervenerant, viderunt lucium ad ripam ejusdem piscinæ stantem qui sæpè non modicum damnum cæteris inibi intulit piscibus. Stetit inquam dictus piscis tanquam mansuetum animal, quousque memoratus Subprior arrepto cultello eundem interficeret. Supradictus Prior plurimum ex hoc lætabatur, quod præfatus lucius aliorum piscium nocivus impugnator (cui antea plurimas præparaverat insidias ut caperetur, nec per insidias prævaluerat) jamjamque captus esset eliminatusque de piscina. His ita peractis ad Monasterium regredientes de pisce, quem caperunt (prout idem Subprior mihi scriptis suis indicavit) in nomine Domini, & cum gaudio reversi sunt. Itaque factum fuit, quia devotus ille Subprior semper ex corde suis Superioribus obedivit, piscis hic non per insidiarum cautelas, sed spontè in publicum veniens moramque sua statione faciens tanquam suo præceptoris usque ad sui interneccionem simplici-

ter obedivit. Hic quidam Monastici viri ( quibus grave videtur obedientiale jugum ) considerent diligenter, quia mirum non est quod etiam carnem suam sibi ipsis rebellizare sentiant, quando ipsi Prælato suo Vicario Christi recusant simpliciter obedire.

### C A P U T XIII.

*De tertio miraculo circa prædictum Fratrem factò.*

**P**ræmemoratus etiam Frater DEO devotus, quia libenter recollectus erat, publicum vitans, cellæ suæ quodocunque hoc facere potuit, maximè diebus celebribus & festivis fidelis inhabitator habebatur, & ex eo quod libenter apud semetipsum manens DEO intenderet suisque internis, contigit, dum quadam vice solus in cella federet, ac DEO sibi que vacaret, præ dulcedine Spiritûs visum ei fuit, quòd cella ab intus igne plena foret. Sic consuetum est fieri talibus cænobitis, ut divinam dulcedinem hic prægustent, qui non vanis circuitationibus inutilibusque discursibus vacare student, sed cum opportunum tempus ad hoc habere possunt, ut intus & foris his, quibus DEO placeant, occupentur, cellas suas inhabitant diligenter.

### C A P U T XIV.

*De quarto mirabili, quod circa prædictum Fratrem contigit.*

**Q**uodam tempore, dum in Choro cum alijs suis Fratribus Horas Canonicas decantaret, & pius Dominus præsentibus ostendere vellet, quòd idem Frater columbinæ simplicitati in omnibus suis gestibus, moribus & factis se conformare studeret: Ecce! quando capitulum ex Breviario legit, Columba miræ speciei superveniens super caput ejus omnibus intuentibus sese collocavit, quam dum una manu abegit, supra omnium Fratrum capita, quotquot præsentés erant, de uno ad alterum volans aliquantulum fecit sessionem. Quo factò in omnium oculis evanesens ultra non apparuit.

CAPUT